OPERATIONES ALIQVOT QVIBVS CATARACTAM EXTRAXIT DESCRIBIT

ET

VIRO ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO

D. GEORGIO GOTTLOB RICHTER

AVGVSTISS. MAGN. BRITANN. REGIS CONSILIARIO AVLICO ET ARCHIATRO PROFESSORI IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA MEDICINAE PRIMARIO

PATRVO SVO VENERANDO

DIEM NATALEM SEPTVAGESIMVM QVINTVM
IV. FEBR. ANN. MDCCLXVIII.

PIA MENTE GRATVLATVR

D. AVGVSTVS GOTTLIEB RICHTER
MEDICINAE IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PROFESSOR PVBLICVS.

GOETTINGAE
EX OFFICINA SCHVLZIANA, cur. F. A. ROSENBVSCH.

VIR ILLVSTRIS, EXCELLENTISSIME, VENERANDE PATRVE,

Egregia mihi ſemper viſa eſt, *Vir Illuſtris*, ea medicinae pars, quae oculorum morbos curat, exoptatiſſimaque fuit occaſio, qua non infrequenti apud exteros vſus ſum, peritiam aliquam in hoc morborum genere, manuumque dexteritatem in eorum curatione acquirendi. Cumque omnem, quam habui, harum rerum cognitione imbuendi animum occaſionem, Tuo fauori, Tuaeque liberalitati debeam, primos Tibi offero laborum meorum ſucceſſus; & quid iuſtius, quam vt, quae Tua ſunt, Tibi offeram. Trium itaque operationum, quibus cataractam extraxi, enarrabo hiſtoriam, non quidem ſolummodo ob ſatis felicem earum ſucceſſum, ſed eam inprimis ob cauſſam, quod quaedam in illis occurrant, quae inſtruere imperitos, & adferre aliquid poſſe ad perficiendam egregiam hanc methodum mihi videntur. Quantum adferant ad artis chirurgicae incrementum peractarum operationum hiſtoriae, nemo eſt, qui ignorat; interim tamen magis ſaepe imperitos inſtruit fidelis difficultatum, periculorum, immo ſiniſtri euentus, quibus operationes ſaepe premuntur, enarratio, quam frequens illa boni ſucceſſus iactatio, quae nimiam imperitis inſpirat audaciam, vt ſpe ſucceſſus incaleſcentes, manu incauta nec ſatis inſtructa operationes ſuſcipiant, plus ſperent, quam par eſt, neſciant quid metuendum ſit, quid ſiniſtri accidere poſſit, & quomodo, ſi tale quid occurrit, praeſens auxilium ferri poſſit, vnde dein tot infelices operationum euentus artis honori non parum obſunt. Metuendum quidem mihi eſt, ne multa quae parui momenti ſunt proferre videar, non tamen talia proferre videbor illis, qui ipſi manum operi admouent, & experiuntur in operatione adeo ſubtili multa, quae parui momenti eſſe videntur, plurimum adferre ad felicem illius ſucceſſum. Ita plerumque in libris deſcribuntur morbi, vt plura ſcitu valde neceſſaria, tanquam minutula ſilentio

prae-

   

praetereantur, magno imperitorum damno, quibus ex libris solummodo doctis experientiaque destitutis plurima dein perpetuo in praxi occurrunt inexpectata, quae animum manumque turbant. Hoc inprimis valet de operatione, qua cataracta extrahitur, quae, quamuis in se egregia sit, incommodis tamen & difficultatibus non caret, de quibus praemonendi sunt imperiti, ne inexspectata superueniant, & vt auxilium in promtu sit. En! igitur tres operationes, quibus, si occasio fert, alio tempore alias adiungam.

Vir vtroque oculo cataracta occaecatus bene ceterum valens adiit me die 2 Octobris rogans, vt operatione visum illi restituerem. Dexter oculus per decem iam annos visu priuatus erat, sinister per annum. Vueae in dextro oculo motus liber erat aequalis, cataractae color illi, quem margaritae habent, simillimus, nisi quod striis fuscis hinc inde distinctus esset. Exhibita 3 Octobr. salis anglicani vncia, die 4. Octobr. operationem institui sequenti modo. Altiori loco insidens ita aegrum collocaui, vt caput illius pectori meo obuersum esset, & ad illud, quantum fieri poterat, appropinquaret, plenaque lux aegro oblique in oculi angulum internum incideret. Sinistro oculo deligato, minister adstans palpebram inferiorem deprimebat, alter pone aegrum collocatus dextra manu superiorem palpebram eleuabat, sinistra mento aegri imposita caput pectori suo apprimens, illud firmabat. Iamque dextra manu *Bamarti* armata hasta *a*), gossypio ita obuoluta, vt cuspis illius vix vltra dimidiam lineam emineret, oculi angulo interno duarum linearum a cornea distantia, & superne tunicae coniunctiuae cauta manu infixa, agitationes oculi cohibui. Ita vero imposui oculo instrumentum illud, vt locum, quem tangebat, non obliqua sed perpendiculari directione tangeret. Sinistra manu cultelli *b*), cuspidem corneae in angulo externo ad semilineam a sclerotica iridem versus directam immisi, quae simulatque oculum intraret, retrorsum moto manubrio & auersa cultelli ab iride acie, transiit cameram oculi anteriorem in transuersi pupillae diametri directio-

a) cuius figuram v. in Programmat. meo de variis cataractam extrahendi methodis. Gotting. 1756. Fig. A.

b) v. figuram l. c. Fig. B.

rectione atque in opposito latere e cornea exiit. Remoto tunc *Bamarti* instrumento continuaui sectionem, donec cultelii cuspis ad duas lineas e cornea in angulo interno emergeret, & dimidia corneae pars soluta esset. Effluxit tunc humor aqueus atque ita quidem non prius quam sectione finita. Eleuata cornea lentis capsulam sectione aperui acu ancipiti deprimendae cataractae apta, quod quidem facillime fieri potuit, lens enim pupillae ita apprimebatur, vt intumescens iris lentis figuram proderet, quae quasi per pupillam prominebat, oculus insuper immotus erat. Tunc vero lente sensimque dilatabatur pupilla, ita vt cum leuiter oculum digito comprimerem, profiliret lens, & cum illa frustula duo caseosae seu potius pultaceae naturae. Lentis ipsa substantia tam mollis erat, vt per pupillam transiens figuram mutauerit, fuscus illius erat color, in illius vero medio nucleus erat lentiformis, duritie & colore cornu referens. Cum iam inspecto oculo pupilla clara totaque nigra appareret, oblatamque manum aeger cognosceret, obtegi oculum splenio spiritu vini cum aequali portione aquae mixto madido, & e vena incisa vncias decem sanguinis mitti iussi.

Bene se habuit aeger hoc die, versus noctem vero anxietas & horripilatio leuis illum corripuit, qua remittente leuiter incaluit. Primo post operationem die neque dolor neque rubedo in oculo apparuit, & cum clausis etiam palpebris lux viuida molesta esset, raro oculum deligaui. Exhibui salis anglicani eandem dosin ac die 3. Octobr. quae tamen ne semel quidem aluum mouit. Versus vesperam eadem symptomata orta ac antecedente die paullulum tamen vehementiora. Secundo post operationem die nec rubuit oculus nec doluit, apertisque pauxillum palpebris colores cognouit aeger, ego vero vidi corneae vulnusculum coalitum, cameramque oculi anteriorem aqua iterum tumidam esse. Vsus est per diem aeger potione refrigerante, vesperi clystere. Noua versus noctem horripilatio & anxietas orta vehementior hesterna, quam calor secutus & cum illo dolor oculi insignis. Inueni tertio die coniunctivam oculi tunicam totam rubentem, parum tamen tumidam, vulnusculum

   

culum corneae ſubalbidum, viſumque obſcuriorem. Vſus iterum eſt hoc die ſale anglicano aeger, quem verſus noctem febricula heſterna leuior inuaſit. Quarto die cum rubedo & dolor oculi increuiſſet, nuchae emplaſtrum veſicatorium impoſitum eſt, cuius ope quinto die rubedo & dolor remiſit. Atque ſic quidem continuaui vſum veſicatoriorum leniorumque purgantium donec dolor & rubedo ita diſparuit, vt tres poſt operationem hebdomades vulnuſculum in cornea vix amplius appareret, nullumque illatae iniuriae in oculo veſtigium remaneret, & cum iam res aegri non ferrent, vt diutius maneret, abitum ille pararet. Aperui oculum, & reperi iridem mobilem, pupillamque totam claram nigram, ſi maculam excipis albidam opacam centro pupillae accurate oppoſitam, vix tamen minoris aciculae capitulum magnitudine ſuperantem, vnde bene quidem vidit aeger omnia obiecta in loco non nimis lucido, cum vero ſol ſplendore cubiculum nimis impleret, contracta valide pupilla parum immo nil vidit.

Huic ſtatim ſubiungam binas alias operationes. Vir 40 annorum vtroque oculo cataracta laborans, & dextro quidem per quatuor iam annos, ſiniſtro per vnum tantum, die 22 Octobr. operationi ſe ſubiecit. Siniſtri oculi vuea libero motu, cataracta margaritarum colore gaudebat, quam igitur primo extraxi methodo ſuperius deſcripta. Inciſa lentis capſula ſubito prodiit lens integra, vidit aeger, & pura apparuit pupilla, parumper tamen oblonga, vnde ſueto more deligaui. Lens extracta albida erat, mollis, pultacea, in medio nucleum habens lentiformem colore obſcuriorem opacitate & duritie inſigniori. Cum iam dextri etiam oculi cataractam extrahere animus eſſet, accidit vt cultellus directione nimis obliqua corneae impoſitus non in cameram anteriorem, ſed inter lamellas corneae ad 2 linearum profunditatem penetraret, cumque ſub iterato in cameram oculi anteriorem penetrandi molimine elapſo humore aqueo cornea ſubſideret, operationem diſtuli. Iamque vt vena ſecaretur poſt horulam, & balneo tepido verſus noctem pedes aeger immitteret ſuaſi. Sequenti die clauſis palpebris lumen moleſtum erat, neque tamen dolor neque febricula apparuit. Aeger clyſmate & verius no-

ctem

ctem pedum balneo vſus eſt. Ter oculi ſpleniis liquore deſcripto frigidiuſculo madidis deligati ſunt. Die ſequenti eadem remedia adminiſtrata ſunt, veſperi aeger leuiter inhorruit. Die 25 Octobr. palpebris primum pauxillum diductis oculum ſano ſimillimum nec rubentem nec dolentem, corneam aqua diſtentam, vulnuſculum ſubalbidum inueni, claudere tamen ſtatim oculum lucis valde impatientem oportebat. In dextro oculo ne veſtigium quidem vulnuſculi laminas corneae ſeparantis ſupererat, cornea aqua diſtenta & totus oculus non omnino inflammatus erat. Sequenti die omnia ſe habuerunt vti die praecedente.

Cum iam die 27 Octobr. nulla in vtroque oculo inflammatio eſſet operationem in dextro oculo inſtitui, cuius cataractae color lacteus erat, vbi accidit, vt, cum cultelli cuſpis in angulo interno e cornea emergeret, dorſum illius nimis forſan ſcindens ſuperiorem palpebram leuiter ſecaret, vnde dolore orto & conſtrictis palpebris operatio per momentum turbata, & elapſo ante abſolutam ſectionem humore aqueo iris cultelli aciei aliquantum ſubiecta eſt, quae tamen peracta ſectione laeſa non erat. Prodiit lens neque oculo compreſſo neque capſula inciſa, priori ſimillima, niſi quod per pupillam tranſiens figuram non mutauerit. Aperto oculo viſus aegri turbidus pupilla nubeculoſa erat, & immiſſum in oculum *Dauielis* cochlear albido muco plenum retraxi. Repetii hanc operatiunculam ter quater non ſine moleſtia & periculo donec clara appareret pupilla. Deligato hoc oculo alterum inſpexi & non omnino inflammatum inueni. Veſperi balneo aeger vſus eſt. Inſignes ſequenti nocte dolores aeger paſſus eſt in oculo dextro mane tamen euanidos, vnde vulnuſculo in palpebra tribui. Die 28, 29, 30 Octobr. deligatio ſueto more inſtituta, ſingulis diebus verſus veſperam balneo aeger pedes immiſit, vnde oculi nec rubebant nec dolebant. Die 30 Octobr. verſus veſperam leuis aegrum inuaſit febricula, quam die 31 Oct. leuis oculi dolor ſecutus, vnde primum apertis palpebris coniunctiuam leuiter rubentem & pone pupillam nubeculoſi aliquid reperi, quod tamen non impediuit, quin lux apertis palpebris viuidior moleſta eſſet. Deligato hoc oculo ſiniſtrum

ſtrum primum aperui. En! quae reperi: oculus inflammatus non erat nec dolebat, pupilla vero oblonga erat ita, vt margo illius inferior deorſum premeretur a tenui parte humoris vitrei, quae per pupillam prolapſa & per imam vulnuſculi partem e cornea propendens iridem ita deprimebat, vt in plicam quaſi in ima ſui parte conuoluta non quidem e cornea promineret, infimo tamen vulnuſculi loco depacta eſſet. Cum eo in loco vulnuſculi, cui iris & pars humoris vitrei inſerta erat, labia a ſe inuicem ſemota eſſent, in paruum tumorem elata erat cornea, in ceteris tamen punctis bene coalitum erat vulnuſculum. Pars humoris vitrei e cornea propendens albida erat, & vulnuſculo corneae quaſi ligatura conſtricta & emortua, vnde leui negotio ſeparaui. Iam vero iridem vulneri depactam cauta manu repellere in oculum annitens ſenſi, illam iuſto duriorem ita vulnuſculo accretam eſſe, vt repelli non poſſet, & itaque tota cornea clauſa humore aqueo intumeſceret. Cum itaque praeternaturalis illa pupillae figura, ſi leuem deformitatem excipis, nil incommodi crearet, nec viſui obeſſet, auxilio opus non eſſe putaui. Rerum omnium tam bene hucusque geſtarum ſubito mutata facies eſt die 4 Novembris, nocte enim antecedente febre & dolore oculorum valde excruciatus aeger ſomno penitus caruit; obſiluerunt quidem haec ſymptomata interdiu, aſt recruduerunt verſus noctem cum maiori vehementia, oculorum inſigni inflammatione, appetitu proſtrato, & ſapore oris amaro nauſeoſo. Mira haec ſymptomata terrori vehementi, quo aeger incendio in vrbe oborto perculſus fuit, tribuenda poſt largum ſpiritus vitrioli vſum euanuerunt ita, vt die 7 Novembr. ſale anglicano purgatus aeger ſequenti die abitum pararit. Bene vidit vtroque oculo, clarius tamen ſiniſtro quam dextro. Dimiſi igitur pauperculum, cui longior mora moleſta erat, dato tamen conſilio, vt ad oculos lucis valde adhuc impatientes ſenſim & caute lucem admitteret. Ipſo die, quo haec ſcribo, & quarto itaque poſt operationem menſe, ad me venit aeger, laetus de egregio, quo iam fruitur, oculorum vſu. Bene ille videt omnia, quae non nimis diſtant, vt etiam libros literis maioribus impreſſos legere poſſit, & quod mirum eſt, ſiniſtri oculi pupilla adeo ad priſtinam figuram naturalem rediit,

vt

vt iam parum vel nihil vitiosi in illa appareat. Obscure videt remotiora obiecta.

Infandus inter vtrumque oculum consensus est, quo fit, vt qui vnum oculum adficit morbus, plerumque etiam ad alterum sensim transeat, vnde plerumque obseruamus, cataractam vtrumque oculum occupare, eosque, quibus vno oculo occaecato alterius oculi vsus superest, iure metuere, ne etiam hic pereat, quod quidem aliquando tarde fit, & in primo nostro aegro post nouem annos, in altero post tres factum est. Non equidem cum *Cl. Heuermanno c)* puto huius rei caussam esse, quod vno oculo obfuscato, alter integer superstes, dum solus videt, fortiori irritatione & frequentiori vsu debilitatus sensim obscuretur, cum nec plus videat post iacturam prioris quam ante, nec plus lucis admittat, & consensus ille in aliis oculorum morbis obseruetur, vbi rationi huic locus esse non potest. Rarum enim non est vno oculo inflammato alterum etiam dolore corripi. Puellam noui, cuius sinistri oculi corneae partem inferiorem macula obfuscauit alba opaca, altero oculo integerrimo vsa est, donec, post decem annos in hoc etiam macula colore & figura priori simillima in eodem accurate corneae loco orta sit. Plerumque obseruabis cataractam primum in vno tantum oculo oriri & saepe post illatam iniuriam vel alias caussas medico obuias, cum illa, quae post aliquot tempus alterum oculum afficit, sponte & sine vlla apparente caussa, immo forsan sub vsu remediorum, quibus ortum illius cauere studemus, oriatur, ita vt forsan illum consensum seu praesentiam prioris cataractae pro sola posterioris cataractae caussa habeas. An non igitur praecaueri posterioris cataractae ortus posset si prior tempestiua operatione extrahitur? Legem condiderunt Chirurgi, quae vetat instituere operationem, nisi vterque oculus cataracta laboret, quia oculus, in quo sectio peracta est, non respondet sano eadem visus facultate, vnde post operationem confusus aegri visus oritur. Vim huius legis annon infringere videntur, quae diximus?

Patet ex nostris obseruationibus aetatem cataractae ad illius maturitatem

c) vid. illius Bemerkungen I Band p. 265.

tatem nil adferre, & falli eos, qui putant cataractae duritiem cum illius aetate increſcere, mollior enim fuit cataracta decem annorum quam illa quae vnius tantum anni erat. Immo, quod dolendum eſt, ne colori quidem cataractae ſemper credendum eſt, cum prior colore margaritarum praedita, qui maturitatem prodere putatur, nihilominus tam mollis fuerit vt per pupillam tranſiens figuram mutarit, & in vitro, cui immiſi, in fruſtula dilaberetur, altera vero lacteum colorem, immaturitatis ſignum, prae ſe ferens, adeo priorem duritie ſuperaret, vt nec per pupillam tranſiens, nec digitis ruditer contrectata figuram mutaret. En! quantis incommodis, quantis difficultatibus illi obnoxii ſunt, qui cataractas deprimunt, & ſaepe illas, quas optimis maturitatis ſignis praeditas eſſe putant, molles reperiunt & ad depreſſionem ineptas, aliasque, quae deprimi poſſent, non deprimunt lacteum illarum colorem metuentes. Spernunt has difficultates, qui extrahunt cataractas. Obſeruatu dignum eſſe videtur, omnes, quas extraxi, caractas molles quidem fuiſſe, in medio tamen nucleum habuiſſe coloris obſcurioris & duritiei inſignioris, id quod etiam *Cl. Heuermannus* obſeruauit, *d*) vt parum abſit, quin putem opacitatem & indurationem lentis cryſtallinae in centro illius incipere. Notandum adhuc eſt lentem cryſtallinam opacam aliquando muco albido obduci, qui extracta lente in capſula illius remanens lucem adhuc intercipit, quod quidem in tertia noſtra operatione accidit, alia tamen etiam occaſione aliquoties obſeruauimus, vbi lente integra & immutata figura elapſa remanſit opacitas, fruſtulis, in quae aliquando dilabitur, lentis remanentibus non tribuenda. Nequeunt, qui deprimunt cataractam, tollere hunc mucum, qui poſt extractam cataractam cochleari *Davielis* tolli poteſt facili negotio, quod tamen, ne aliquid diſſimulemus, moleſtia & difficultate non caret, cum iterata inſtrumenti, inter varias, vt ſaepe fit, oculi agitationes, introductio oculum facile laedat & operationem protrahat. Apparet etiam inde, cur, quamuis immatura aeque ac matura cataracta extrahi poſſit, faciliori plerumque negotio matura extrahatur, quam immatura, quae fruſtatim ſaepe prodiens iteratam inſtrumentorum introductionem requirit.

Pluri-

d) l. c. p. 265.

Plurimum ad felicem operationis successum affert commodus aegri situs, qui talis esse debet, vt lux oblique in oculum incidat, resplendescente enim, quod semper fit si alius aegri situs est, oculo difficillime Chirurgus cognoscit, an pura sit pupilla nec ne, vnde factum est, vt in dextro secundi aegri oculo nubeculosi aliquid, quamuis summa cura oculum inspicerem, remanens visum obscuraret. Eandem etiam ob caussam non cognoui sub operatione maculam illam centro pupillae oppositam post primam operationem superstitem, quae opportuno tempore cognita tolli forsan potuisset, iucundum tamen nobis, inprimis cum visum non nisi summe constricta iride interciperet, spectaculum illa praebuit, cum bene explicaret caussam, cur reperiantur, qui interdiu caeci, noctu vel in locis tenebricosis bene videant. Cum neque extensis neque eleuatis brachiis tuto secatur, caput aegri proxime pectus Chirurgi esse debet. Operatio peragatur in loco lucido, vt videat Chirurgus, quid scindat, & pupilla constricta lentis crystallinae & humoris vitrei intempestiuum prolapsum impediat; peracta vero corneae & capsulae lentis sectione fenestram cortina tegas, vt dilatata pupilla facilem praebeat cataractae transitum, qua elapsa lucem iterum admittas, vt cognoscas an turbidi aliquid pone pupillam supersit.

Magni momenti res est figere sub operatione oculum, quod, qui negligit, nisi dexterrimus sit, tuto non secat, non enim voluntariae oculi agitationes solummodo metuendae hic sunt, oculus enim mobilis non resistit cultello, sed cedit, sequitur illius motum, mouetur, quod, quia vim aliquam requirit tenacis corneae sectio, fere semper fit & magnam Chirurgo parit molestiam, quam optime praeuertit vsus instrumenti *Bamarti* ad formam hastae constructi. Leuem quidem, dum coniunctiuae oculi tunicae imprimitur, dolorem creat, tantum tamen abest, vt irritatio, quam parit, & leue, quod infligit, vulnusculum inflammationis periculum augeat, vt potius aliquando imminuat, accidit enim, vt post secundam & tertiam, quam descripsi, operationem ex vulnusculo instrumento hoc inflicto leuis oriretur haemorhagia, totum angulum oculi internum sanguine tingens, cui inprimis tribuendum esse puto, quod nulla fere vtramque operationem secuta sit oculi inflammatio. Cauta tamen

ma-

manu & goſſypio obuolutum oculo admouendum eſt inſtrumentum, ne humorem vitreum exprimas, quod quidem metuendum non eſt, ſi remoues, ſimulatque cultellus e cornea emergit, inſtrumentum; vnde magis forſan metuendum eſt, ne humorem aqueum ante finitam ſectionem expellas. Monendum adhuc eſt inſtrumentum hoc oculo imponi debere non obliqua, vti aliqui ſuadent, ſed perpendiculari directione, ſic enim omnes oculi agitationes cohibet, cum contra, ſi ita applicatur, vt verſus naſum inclinet illius manubrium, motum oculi verſus angulum externum permittat.

Vt facile corneam penetret cultellus cuſpis illius anceps ad duarum linearum longitudinem eſſe debet, non tamen vltra, ne e cornea emergens ſcindat ſuperiorem palpebram, (quod facillime fit, ſi profunde latent in orbita oculi,) & difficultates creet, quas ipſe expertus ſum in tertia operatione. Nec oblique imponi oculo debet cultellus, ita enim difficulter aliquando in cameram anteriorem, facilius, vti mihi accidit, inter lamellas corneae penetrat; cuſpis igitur cultelli immitatur oculo verſus iridem directa, donec cameram anteriorem penetrauit, vbi tunc ſubito manubrium retrorſum moueri debet, vt in transuerſi pupillae diametri directione cultellus cameram oculi anteriorem tranſeat. Bene incidi poteſt capſula lentis cryſtallinae acu ancipiti, commoda enim, quae promittit, non habet *Kyſtitomus de la Faye*, qui nimis, dum applicatur, viſum intercipit Chirurgo, vt oculum aegri inſpicere nequeat, commodior tamen illius vſus erit ſi cultellus, qui in hoc inſtrumento latet, cum ſua vaginula incuruatur. Difficulter extrahitur cataracta illis, quibus oculi profunde in orbita latent, plus enim, dum applicantur, inſtrumenta oculum in orbitam retroprimunt, nec aperiri ſatis palpebrae poſſunt, vnde cuſpis cultelli, dum ex cornea emergit, facile angulum oculi internum vulnerat, & operationem turbat. Euitare quidem poterit haec incommoda dexteritas Chirurgi, dum ſimulatque exiit cultelli cuſpis e cornea ad lineam vnam vel alteram, retrahit cultellum & ſic duplici ſectione corneam ſoluit, tunc vero alia incurrit pericula ab effluxu humoris aquei, qui tunc ante ſectionem peractam contingit, oriunda. Optime itaque in his operationem per-

agi

agi puto cultello cuius lamina pone cuſpidem ſubito euadit latior, & quo itaque dimidiam corneam ſolues antequam illius cûſpis vltra 2 lineas e cornea exit. Hic tamen etiam inſignem dexteritatem requiri, expertus ſum in ſecundo aegro, cuius oculi profunde ſub orbita latebant.

Iridem diſſecta cornea prolabi, & inter corneae labia äeris attactui expoſitam haerere poſſe ſine dolore vllo & inflammatione ſecunda noſtra docet obſeruatio; quod contra *Cel. Günzium* monemus, qui *e*) in plus quam ducentis exemplis neque per ſectam, aut laceratam, neque per exeſam, ruptamque corneam vueam vnquam vere elapſam ſe vidiſſe fatetur, & putat prolabi illam & a cornea premi non poſſe ſine ſumma inflammatione, temerarium vocat conſilium eorum qui lino vincire illam vel cultro praecidere ſuadent. Raro quidem puto iridem procidere niſi ſimul prolabatur humoris vitrei pars, qua propellitur illa, protrahitur & deprimitur; humorem vitreum vero prolabi rarum non eſt. Breui tempore pars iridis prolapſa in noſtro caſu induruit, & ſuam, qua acute ſentit, naturam, quam *Cel. Günzius* adeo extollit, exuit, vt dum ſtylo argenteo repellere illam in oculum anniterer, aeger ne leuiſſimum quidem doloris ſignum proderet, vtque adeo prolapſam iridis partem in ſatis inſignem tumorem aliquando increſcere, & tunc cultro vel ligatura commode tolli poſſe nullus dubitem. Eadem obſeruatio probat mutatam pupillae figuram, niſi nimis a naturali deflectat, adeo metuendam non eſſe, vti plerique putant, melius enim aeger vidit ſiniſtro oculo, cuius mutata erat pupilla, quam dextro in quo nil vitii poſt operationem apparuit. Arduum negotium, quod quidem aliqui commendant, eſſe puto forfice praeſcindere prolapſam humoris vitrei partem, quod ſine laeſione iridis vel corneae peragi vix poterit; immo difficillime aliquando paruam humoris vitrei per pupillam prolapſam partem, pellucidam ſcilicet, Chirurgum cognoſcere, ipſa mea me docuit experientia, qui eum, ſub ipſa ſine dubio operatione prolabentem, non niſi aliquot poſt operationem dies, cum vulnuſculo corneae conſtrictus pallere inciperet, detegi. Ipſam tamen mutatam pupillae figuram,

 quam,

e) in Diſſ. de Staphylomate, Lipſ. 1748. hab. §. IV.

quam, dum per eam propellitur, neceſſario ſemper dilatat & diſtrahit, niſi certe ſemper prodat huius humoris prolapſum, bene tamen Chirurgum ad attentiorem oculi inſpectionem inuitare puto. Optime faciunt, qui, ſimulatque propelli ſentiunt humorem vitreum, claudunt ſubito, niſi id ipſum maior illius pars prolapſa impediat, corneam & palpebras, & ſic vlteriorem illius prolapſum cohibent; ita enim, quae prodiit per pupillam & in camera anteriori haeret, vitrei humoris pars, coalito corneae vulnuſculo, & regenerato humore aqueo reprimitur forſan in cameram poſteriorem, neque, etiamſi hoc non fiat, lucem intercipit.

Pauca adhuc addam de inflammatione oculi, quae hanc operationem ſequitur, & quam male tanquam periculi plenam & grauem illos, qui egregiam hanc methodum carpunt, depingere, docent operationes noſtrae, quarum primam leuior poſt tres hebdomades euanida, poſteriores duas nulla omnino ſecuta eſt; tantum abeſt, vt imminuat methodi huius laudem ſubſequens inflammatio, vt potius augeat illam illius & doloris, quem vix ſentire ſub operatione plerique aegri fatentur, lenitas. Interim tamen conſtat, non magis ad felicem operationis ſucceſſum requiri dexteritatem illam, qua peragitur operatio, quam cura, quae praecauet oculi inflammationem, quae, ſi grauis eſt, non raro viſum reſtitutum penitus tollit, mitior etiam ſemper obſcurat, ita vt, quo mitior ſecuta eſt inflammatio, eo clariori viſu aegrum gaudere plerumque obſerues. Non raro vero vidi, ſumma illa remedia, quorum virtuti praecauendi inflammationem plurimum plerumque tribuitur, venaeſectionem nempe & purgantia, ſpem fallere, tanta ſaltem efficacia non pollere, quanta plerumque ab illis exſpectatur: bis enim inſtitutam venaeſectionem ſatis largam vehementiſſimam vidi oculi inflammationem ſequi, cum in alio caſu, vbi penitus omiſſa erat venaeſectio, nulla fere ſequeretur, nec ratio in diuerſo vtriusque aegri corporis habitu, quo non nimis differebant, quaerenda fuit. Plerumque oculi inflammationem antecedit febricula noctu inprimis aegrum exagitans, cui quidem mitiori vel vehementiori plerumque ſubſequens inflammatio reſpondet leui-

tate

tate vel vehementia, quae tertio plerumque die post febriculam oritur, vt dixeris forsan inflammationis caussam febrem esse. Putaui igitur febrem hanc praeuertere illiusque caussam eruere debere, qui imminentem vult praecauere oculi inflammationem. Eadem vero post alias etiam operationes vel vulnera inflictu aliquando obseruantur. An igitur horum omnium caussa in neruorum quadam singulari affectione latet, quam metus anxii de dubio operationis successu aegri, vel dolor, vel terror, quo dum vulneratur, percutitur aeger, parit? Singularis sane obseruatio est, difficilius purgari hos aegros, ita vt non raro remedii cuiusdam purgantis secundo post operationem die sumta dosis effectu careat, quae ante operationem exhibita quater vel pluries aegrum purgauit. Spasmodicam aliquam tensionem hic suspicans vsum suasi clysmatum, balneorumque emollientium relaxantium, potuumque anodynorum, & tertio die, quo nempe sanguinis ad oculum decubitum plerumque fieri obseruaui, medicamentum lene purgans, quod tunc semper facile aluum mouit, exhibui, & egregium horum remediorum post secundam & tertiam operationem successum laetus vidi *f*). Oculus ante quartum post operationem diem,

f) Non solum post hanc, sed alias etiam inprimis grauiores operationes, vel etiam vulnera inflicta, plura symptomata neruis tribuenda, egregiumque ad ea arcenda vsum esse relaxantium clysmatum, balneorum, fomentationum frequens experientia docet. Vidi *Cel. le Cat* post operationem, qua calculus e vesica extrahitur, aegros semicupio immittere, & constanti operationum suorum successu frui. *Cel. Moreau* peritissimus Nosocomii Parisiensis, quod Hotel de Dieu appellatur, Chirurgus primarius, aegris, quibus secundum suam methodum calculos extrahit, statim post operationem totum abdomen blandis emollientibus oleosis fouet, & paucissimos operatione perire experitur. In vulneribus sclopeto inflictis, quae neruos totius corporis ingenti commotione & terrore quo aeger, dum vulneratur, percutitur, pessime adficiunt, emollientissimis obuolui partem vulneratam, immo aquae tepidae immitti, pedes totumque abdomen semicupio immergi *Boucher* iubet, horumque remediorum egregium & successu plenum vsum obseruationibus probat in Memoir. de l'Acad Chirurg. de Paris T. V. p. 300. Edit. in 8. Inter haec tamen negligenda venaesectio non est, quae, vbi requiritur, nunquam sine periculo omittitur. Monemus etiam primarum viarum ratio-

diem, nisi dolor vel alia symptomata vrgeant, aperiri non debet, cum oculus primis diebus lucis valde impatiens, luminis aerisque attactum sine imminentis inflammationis increscente periculo non ferat. Neque male aegro consules, si apparatum, quo tegitur oculus, in loco non nimis lucido soluis, siquidem clausis etiam palpebris viuidam lucem oculis saepe molestam esse, experientia docet. Alia adhuc, praeter haec, incommoda parit intempestiua palpebrarum diductio, corneae enim vulnusculum, quod altero plerumque, certe tertio die, iam colitum reperitur, facile, dum palpebras diducis, diuellitur rursus, cum nouo humoris aquei effluxu, variisque inde oriundis difficultatibus. Idem saepe accidit, si nimis constringitur, qua deligatur oculus quarta die, fascia, quae corneam humore aqueo intumescentem comprimit, & humorem illum diducto corneae vulnusculo ex oculo expellit.

En! *Vir Illustris*, qualescunque laborum meorum successus, qui tamen, vt mihi ipsi arrideant, Tuo adhuc inprimis adplausu egent; tunc enim scopum, quo tendo, attigisse mihi videbor, si beneficia Tua, quibus innumeris me ornasti, Te non male in me collocasse putabis. Semper enim, cum non sit, qui plura maioraque Tibi debeat paternae voluntatis pignora, in eo allaboraui allaboraboque vt Tibi confirmem, Te benignissimum fuisse erga gratissimum. Non solum enim, primum in celebri hac musarum sede medicinae campum, Te duce ingressus sum, sed Tuis etiam inprimis beneficiis suffultus iter institui literarium ad exteros, vbi horum quoque doctrina frui, illustriumque in arte medica virorum experientia

rationem semper habendam esse in oculorum inflammationibus, quae latentes ibidem sordes saepe caussas agnoscunt. Inde in variis, inprimis post animi adfectum ortis opthalmiis, & chronicis illis, quae animo commoto, saepe redeunt, vel si adsunt, augentur, spiritus vitrioli, vel aliquando potius vomitorii vsum egregium saepe reperi.

entia inſtrui licuit. Illa inprimis exoptatiſſima fuit occaſio ea loca adeundi, vbi confluit quaſi omnium morborum, qui humanam naturam affligunt, cohors, vbi verſari frequenter inter lectulos aegrorum poſſunt, qui medicam artem colunt, vt cognoſcant morbos eorumque naturam, immo vt adſueſcant aures miſerorum eiulatibus, vt manus acquirat dexteritatem, animus intrepiditatem, quae quidem in illis inprimis requiritur medicis, quibus non ſolum tuto ac iucunde ſanare morbos, ſed armata etiam, ſi requiritur, ſauciaque manu ſalutem reſtituere miſeris propoſitum eſt, & quam, qui hac occaſione carent, lenta plerumque experientia acquirunt. Quoties pectus Tui amore impleuit haec meae, qua dum apud exteros eſſem frui licebat, felicitatis conſideratio, & Tuae inprimis, quibus ſaepe beneuolum Tuum erga me animum declarabas, literae, quas tanquam teſtes paterni Tui amoris ſeruo, ipſis tuis beneficiis, quae plerumque comitabantur, cariores. Tacere tamen iuuat, nec plura repetere Tibi cui diſplicet grata illa verboſitas, magis placent tacita grati pectoris vota. Aliud iam incumbit officium erga Te, qui hodie diem natalem ſeptuageſimum quintum rara quidem aſt docto & inprimis medico digna felicitate celebras. Merito igitur omnium quos vel reuerentiae erga merita virtutesque Tuas, vel amoris erga praeceptorem ſuum, vel etiam beneficiorum tibi obſtringit vinculum, laetitia & piis votis feruent pectora, & ego inprimis perfundor, quem triplici hoc vinculo Tibi obſtrinxiſti. Hunc igitur laeti gratique pectoris ſenſum publice Tibi declarandi arripio occaſionem, & oro Deum, vt diu ſaluum incolumemque Te ſeruet, optoque vt ſplendidum, quem ab Academia condita tenes, locum diu adhuc virtutibus Tuis & praeclara doctrina, ornes, vt honoribus, virtutum meritorumque prae-

 miis,

   

miis, omniumque amore, inprimis vero blando illo coniugalis amoris, quo nouo foedere inito iam frueris, fotu, senectutis molestias, quibus raro penitus illa caret, lenituro, diu adhuc, & ad senilem vsque vitae satietatem fruaris. Vale, *Vir Illustris*, & faue

NOMINIS TVI ILLVSTRIS

Cultori observantissimo

AVGVSTO GOTTLIEB RICHTER.